

Chloroformium autem in partus ordinarii doloribus adhibere illicitum putant Cappellmam (l. c. p. 38) et Surbled (La vie sexuelle, p. 278 seqq.). Rationem afferunt, quod hi dolores tanti non sunt ut a muliere strenua ferri nequeant; ex usu autem chloroformii periculum mortis tum matri, tum proli gignitur. Attamen periculum illud valde remotum est, cum e casibus fere innumeris in quibus adhibitum est, vix ullus assignari possit in quo constet chloroformium veram fuisse causam ob quam mater obierit; neque desunt peritissimi in arte obstetricia medici qui eundem usum prorsus innocuum partui et infantis sanitati asserant. (Hubert, Accouchemens, t. II, p. 683) Quare nullum gravem reatum in hujusmodi usu videmus; leviter tamen illicitum putamus periculum mortis, etiam remotum, absque speciali causa, matri inducere. Cocaini vero usus, cum localem tantum anesthesiam producat, nullaque pericula matri vel proli afferat, prorsus licitus est: sed de ejus efficacia ad sedandos partus dolores nondum plene constat. (Hubert, l. c. p. 691)

**21. V.** Injuste agit medicus qui visitationes plane inutiles instituit et remedia aequa inutilia praescribit ficta spe salvandi aegroti. Attamen nullam injustitiam committeret, si cura hujusmodi aliquatenus prodesset ad solandum infirmum vel ad ejus dolores levando, aut si accederet, sine ulla fraude, consensus infirmi vel eorum qui expensas ferre debent.

Injuste etiam ageret medicus qui pro curis et visitationibus, quibus ex usu certum pretium assignatur, majus peteret, cliente non premonito, vel a pauperiore exigenter mercedem quae tantum a ditione exigi solet: unusquisque enim, dum a medico usualia servitia petit, implicite cum eo paciscitur ut pro pretio usuali, quod varium esse solet pro varia hominum condicione, medicus operam suam praestet. In obsequiis magis extraordinariis, puta in diurna opera medicorum peritia eminentium, vel in difficilibus operationibus chirurgicis, nisi praeiverit libera conventio, pretium justum censendum est non quodlibet medico vel chirurgo placuerit, sed quod, ratione habita laboris, difficultatis, etc., proportionem habeat cum stipendio quod iidem peritissimi pro ordinariis obsequiis a personis ejusdem condicione petere solent: in hoc enim, non autem in quodlibet, tacite consentit qui hujusmodi extraordinaria obsequia petit.

**VI.** Graviter contra caritatem peccat medicus qui non admonet aegrotum quem novit in probabili mortis periculo constitutum et cui putat, saltem probabiliter, hanc monitionem necessariam esse ad gravia damna vitanda, puta ad conscientiam suam a gravi peccato purgandam vel res temporales magni momenti componendas: nam tenetur unus-

quisque notabile damnum a proximo arcere, si commode potest. (Vol. I. n. 217) Sub gravi autem non tenetur quando persuasum habet hanc monitionem non esse multum profuturam, sive quia moraliter certus est aegrotum in statu gratiae versari, neque res temporales componendas habere, sive (quod raro fiet) quia eadem certitudine novit eum esse tam male dispositum ut, etiam periculi conscius, sacramenta respueret. (1)

Quamvis haec monitio plerumque efficacior sit quando ab ipso medico fit, absolute tamen satisfit monendo per alium quemcumque, puta per consanguineos, parochum, etc. Maneret obligatio personalis si reliqui monitionem facere vel nollent vel non possent (Sanchez, in Decr. l. 3. c. 16. n. 1), vel si aliis de mortis periculo monentibus credere noluisset infirmus. Praesertim cavendum est medicis ne aegrotum periculose decumbentem in errorem invincibilem inducant, dum ei falso testantur morbum remitti: unde saepe fit ut ceteris monentibus non credat et sacramentis muniri recuset qui, veritatem edoctus, libenter eadem suscepisset.

**VII.** Graviter peccat medicus qui, tempore morbi contagiosi, deserit eos quorum curam per contractum adhuc vigentem suscepit; deficiente autem contractu, raro sub gravi tenebitur ad vitam suam magno periculo exponendam. Id continget tantum si ex ejus discessu sequeretur magnum commune detrimentum, vid. si multi propterea praeviderentur morituri, qui secus valde probabiliter medici ope salvarentur. Etiam graviter laederet caritatem qui gravi morbo laborantem adjuvare nollet, dum nullus alias praestet esset, neque ipse notabili incommodo excusaretur.

**VIII.** Peccat graviter medicus qui, sine vera necessitate aut evidenti utilitate, inspicit et praesertim tangit organa genitalia mulierum (Vol. I. n. 397); item qui remedia ad abortum faciendum praescribit vel potentibus tribuit. Si quaedam innocua tradat ne apud alium efficacia pharmaca quaerantur, non peccat. Consultius tamen videtur mulieres aliosve a pravo proposito deterrire: si enim sponte sequeretur abortus, is pseudo-pharmaco et medico qui illud consuluit tribueretur. (Hubert, op. cit. II. p. 736)

(1) Haec dicta sunt secundum jus naturale et divinum, quod solum hodie in hoc arguento servandum est. Nam nostris temporibus in desuetudinem abierunt Constitutiones quas de eodem sapienter tulerant duo RR. PP., nempe Innocentius III in Conc. Lat. IV. (Decr. l. 5. tit. 38. c. 13) et Pius V (Const. *Super gregem*, anno 1566). Horum prior praecepsit sub gravi omnibus medicis ne infirmos, notabili morbo laborantes, in suam curam recipieren qui prius confessi non fuissent; posterior eamdem legem confirmavit novisque condicionebus determinavit. Jam tempore S. Alph. (l. 6. n. 664), multis in locis hae Constitutiones non erant usu receptae.

## CAPUT VI.

## DE HERIS ET OPIFICIBUS.

**22.** Peculiaria caritatis officia quae heros et opifices constringunt, quatenus artiori societate uniuntur, jam Vol. I. n. 354 seqq. explicata sunt. Hic autem quaedam addemus, quae unice vel praecipue e virtute justitiae nascuntur.

**I. Operarii** tenentur "quod libere et cum aequitate pactum operaeris, id integre et fideliter reddere." (Encycl. de condic. opif.) Ratio patet ex iis quae Vol. I. n. 595 seqq. de obligatione e contractu orta, dicta sunt. Hinc injuste agunt qui otio terunt tempus quo, juxta contractum, laborare debent; qui, quo minorem laborem insument, res sibi commissas male perficiunt, cum damno domini vel tertii, etc.

**II.** Tenentur iidem "non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum." (ib.)

**III.** Tenentur etiam "in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere umquam." (ib.)

Hoc officium peculiarem praebet difficultatem in dijudicanda liceitate vel illiceitate cessationis laboris **ex condicto**: quo medio saepe utuntur hodie operarii ad rationes suas tuendas. De hac igitur cessatione quaedam breviter statuemus:

1º Si operarii ex condicto cessant laborem, quem e contractu cum heris inito praestare debent, cessatio injusta est, ut ex supradictis (I) patet. Exciendi sunt casus in quibus contractus ab initio nullam obligationem peperisset, vel obligatio, propter aliquam circumstantiam supervenientem, sublata esset. Ita nulla esset obligatio laboris praestandi, si moraliter coacti fuissent operarii ad laborem cum salario manifeste injusto commutandum (Vol. I. n. 499), vel si labore minime necessarium diebus Dominicis praestare spopondissent. Similiter cessaret obligatio locationis operaeris, si herus non servaret condiciones de quibus conventum esset, aut magna dama pro vita vel sanitate, e labore praestando, operariis imminarent. (Vol. I. n. 593) Attamen caritas postulat ut, antequam laborem cessent, patronum rogent num contractum ad normas justitiae redigere velit. Cfr. Antoine, *Cours d'Économie sociale*, p. 463.

2º Quando operarii nullo contractu ligantur, cessatio a labore est per-

se licita omnibus, etiam ex condicto, sicut licet singulis. Attamen illicita fieri potest vel ratione finis vel ratione mediorum quae adhibentur. Ratione *finis*: si ex. gr. intenderent, ope universalis cessationis, moralem coactionem inferre gubernio legitimo, ne libere decerneret ea quae nullam manifestam in justitiam contineant, vel si dominum cogere vellent ad dandum salarium supra summum quod juste in illa regione dari consuevit. Ratione *mediorum*: si ex. gr. adhiberent vim ac seditiones; si, ex odio domini et sine necessitate propriae defensionis, cessationem facerent eo momento quo ea gravius detrimentum domino afferret; si non relinquenter singulis libertatem "collocandi operam suam ubi libet et quando libet." (Encycl. litt. ad Arch. et Ep. Stat. Foed. 26 Jan. 1895) Attamen, quando salarium infra infimum accipiunt, non videtur illicitum adhibere aliquam moralem coactionem, in eo sitam quod eos qui laborare pergunt excludant a signis caritatis specialibus, puta a societatibus libere initis, non autem ab iis quae caritas omnibus vult esse communia, ut praebere justo pretio ementibus necessaria ad victum. Nam, denegando tantum specialia caritatis signa, medio per se licito impedire conantur damnum quod ex aliorum agendi ratione patientur. Cfr. Lehmk. I. n. 1119.

3º Seclusis ergo mediis in justis, licita est cessatio laboris ex condicto, quae fit ad obtinendum premium quod, spectatis omnibus adjunctis, ex parte tum dominorum, tum opificum, justum est. Idem dicendum si intenditur deminutio laboris excessivi, cessatio injuriarum vel vexationum aut alias justus magni momenti finis.

Neque probabilius peccant contra justitiam operarii qui jam obtinent salarium justum infimum, volunt autem obtinere augmentum, quod tamen premium summum non excedat. Cfr. dicta de monopolio Vol. I. n. 641. Immo neque contra caritatem peccare videntur: siquidem hic non inducunt necessitatem domino ut tribuat illud premium, cum aliis (ut supponitur) libertatem laborandi pro minore mercede relinquant.

4º Illicita etiam foret cessatio a labore, si nulla probabilitas affulgeret obtinendi bonum finem qui intenditur. Nam, cum medium istud necessario multa mala tum dominorum, tum operariorum, secum trahat, adhiberi nequit nisi haec compensentur bonis proportionatis. Attamen, si reapse graves injurias vel vexationes paterentur operarii, non videbatur necessaria spes successus immediati, dummodo saltem in futurum sperari posset: quod saepe contingit, cum timor cessationum multum conferre soleat ut operariorum condicio melior fiat et inveterati abusus extirpentur. Cfr. Antoine, op. cit. p. 465.

5º Licet non desint casus in quibus talis cessatio a labore licita dici queat, non est tamen adhibenda nisi cum frustra tentata fuerint alia omnia media innocua ad finem intentum obtinendum. Nam, sicut plerum-

que aegre constare potest num adsint omnes condiciones supra recensitae, ita plurima et gravia incommoda e cessationibus illis enasci solent. Ea breviter enumerat Leo XIII in Encycl. de condit. opif.: "Genus istud cessationis non heros dumtaxat atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest reique publicae utilitatibus: cumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit. "

**23. IV.** Heri peccant contra justitiam si operarios mercede debita privant vel eam solvere procrastinant, ut e contractu inito et precaria operariorum condicione liquet, vel si eorum compendiis nocent "vi, dolo vel faenebris artibus." (Encycl. de condic. opif.) Sic omnino injustum est directe vel indirecte cogere operarios ut merces majore pretio quam communiter veneunt emant, sive a domino ipso, sive ab alio cui dominus favere voluerit.

Pariter injustum est tradere pro salario merces, etiamsi computentur cum eo valore quo communiter veneunt: nam operarius, nisi antea libere consenserit ut salarium mercibus solveretur, jus habet ut sibi, juxta universalem usum, detur pecunia qua emere possit quidquid libet; plerumque autem, si merces hujusmodi venderet, multo minorem pecuniae summam acciperet quam statutum salarium. (S. Antonin. tom. 2. tit. I. c. 17. § 8) Stricta injustitia abesset tantum, si operarius cum hero libere convenisset de salario solvendo mercibus quarum valor pro eo revera justum salarium aequaret. Sed, cum hujusmodi solutio (truck-system) soleat ad injusticias celandas adhiberi, merito leges civiles eam in variis regionibus regulariter prohibit. Cfr. legem Belgicam 16 Aug. 1887; De Gryse, de contr. conduct. p. 86 seqq.

Tandem injuste agunt heri qui, ope moralis coactionis, operarios impediunt quominus per media honesta legitimos fines suos prosequantur, puta per associationes quae christiano spiritu ducantur. Graviter autem desunt caritati si, parte quadam operariorum laborem cessante, eos etiam qui in labore pergere velint, officina expellunt (*lock-out*), nisi manifesta necessitate cogantur, puta quia, dum cessat unus laboris genus, alii deest necessaria materia, vel quia ipsi operarii iis qui justam cessationem a labore instituunt, libere opem tulerint, neque ab ea ferenda abstinere velint. Etenim talis expulsio universalis, quae cum summa inopia multorum innocentium, tum operariorum, tum uxorum et liberorum conjungitur, licita esse nequit nisi manifesta impossibilitate vel defensionis necessitate excusetur.

**V.** Quando industria vel commercium peragitur ope **societatum**, praesertim **anonymarum**, ut saepe in grandioribus negotiis usu venit,

non ita clare appareat quaenam sint singulorum sociorum obligationes. Haec autem praecipue attendenda:

1º Officia patroni immediate incumbunt ei quem consilium administrationis eligit, ut industriam vel commercium dirigat (*directeur gérant*); mediate etiam ad administratores spectant.

2º Qui *actiones* in hujusmodi societatibus anonymis habent, tenentur uti jure quod ipsis lege agnoscitur ut, pro rata actionum quas detinent, interveniant eligendis administratoribus: a quorum probitate vel improbitate pendet quis constituendus sit director et quomodo universa officina dirigatur.

Ratio est, quod administratores sunt sociorum mandatarii. Cfr. in Cod. commerce. tit. IX. legem Belg. 18 Maii 1873 temperatam per legem 22 Maii 1886, a. 43 seqq. Ideo, si permittunt actionarii ut ab administratoribus constituantur directores qui in honeste agant, ex. gr. qui cogant sine necessitate opifices ut diebus dominicis laborent, qui non prospiciant bonis moribus tuendis, qui nimio labore operariorum sanitati noceant, etc., haec mala merito actionariis imputantur. Quodsi, inter haec mala, etiam injustitiae reperiuntur, sive erga operarios, sive erga alios quosvis, injusti sunt, non tantum qui suffragio suo constituunt vel confirmant homines a quibus talia probabiliter sint exspectanda, sed et illi qui id non impediunt cum possint: nam moraliter tales injustitiae spectant ad socios quorum nomine committuntur et qui saepe in earum emolumento participant. Oportet ergo ut vel ipsi coetibus illis intersint vel (quod saltem per legem nostram licet) alteri viro probo vices pro se suffragandi committant. Attamen obligatio haec non semper erit gravis. Nam, si quis paucas actiones detinet et parvam vel nullam spem habet procurandi electionem proborum administratorum vel directorum, is abstinenndo levem tantum vel nullam culpam committet.

3º In coetibus annuis tenentur socii inquirere de ratione qua varia officia moralia, sive ad justitiam, sive ad alias virtutes spectantia, in administranda industria vel commercio impleantur. De hujus obligationis natura et gravitate eadem ratione dicendum ac de suffragatione pro eligendis administratoribus dictum est. Nam coetui generali sociorum amplissima est facultas omnia determinandi quae ad societatem spectant. (Legis cit. a. 59) Huc quoque facit quod cum Lugo notavimus (Vol. I. n. 547), plurimos ignaviam suam velare hac falsa ratione quod eorum conatus in irritum caderent: multi enim sunt qui, si unus antiret, sequerentur.

4º Illicitum est pecuniam collocare in societatibus quae prosequuntur finem totaliter pravum, puta ephemeredes fidei vel moribus infensas edere (Vol. I. n. 652); percepta tamen pecunia servari potest, dummodo cum nullius injuria acquisita fuerit. Verum, ubi finis societatis bonus est

vel indifferens, sed media quaedam illicita adhibentur, videndum est in singulis casibus, juxta generales regulas de cooperatione datas (Vol. I. n. 235), num sufficiens detur ratio in his societatibus permanendi : quod facilius obtinebit pro sociis qui minorem partem actionum, ideoque et minorem influxum habent, et quod poterant ad mala illa extirpanda, frustra tentarunt.

## SECTO II. — DE OFFICIIS CLERICORUM.

### CAPUT I.

#### DE VOCATIONE AD STATUM CLERICALEM.

**24. I.** Ad statum clericalem ligitime ingrediendum requiritur imprimis **vocatio exterior**, in eo sita quod ordinandus libere admittitur ab episcopo qui Dei nomine honorem status ecclesiastici confert. De hac vocatione externa proprie procedit : “ Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron „ (Hebr. V, 4), ut manifestum fit comparanti locum ad quem Apostolus alludit, nempe Ex. XXVIII, 1, ubi Moyses jubet Aaronem ejusque filios constituere in sacerdotes. Cfr. Ball. P. de Praec. partic. c. II. n. 1 seqq.

Per *statum clericalem* hic intellegimus tantum condicionem eorum qui saltem subdiaconatu initiati sint. Nam, licet clericis adscribantur quicunque primam tonsuram acceperint, ii tamen, donec sacrum ordinem suscipiant, nondum habent *ex ipsa condizione sua* illam firmitatem quae ad statum proprie dictum necessaria est.

**II.** In ordinandis requiritur praeterea **vocatio interior**. Haec tamquam fundamenta praesupponit scientiam competentem et morum sanctitatem ; formaliter autem consistit in consilio divinae Providentiae aliquem e communi laicorum statu eligentis ut ad clericatum ascendat, et eidem congrua auxilia ad speciales hujus status obligationes ferendas praeparantis.

Talem vocationem requiri, patet e sublimitate status clericalis, qui, cum sit communi christianorum condizione multo praestantior et difficilior, praestantiores quoque intellectus et voluntatis dotes ac specialia gratiae auxilia requirit ut digne exerceri valeat. Nec dubitari potest quominus infinita Dei Sapientia et Bonitas dignos Ecclesiae suaे ministros præparet, atque in hunc finem, per internas mentis illustra-

tiones et voluntatis motus, ad illum statum amplectendum allicit quos jam naturalibus dotibus, eidem ministerio necessariis, instruxerit.

Cognoscitur autem hoc divinum consilium per motus interiores, quibus homo vocatus ad hunc statum amplectendum allicitur. Quare si quis, scientia et probitate praeditus, neque ullo canonico impedimento irretitus, sentit se habitualiter ferri ad clericatum ingrediendum ob motiva supernaturalia, puta ad salutem animae propriae certius obtinendam, ad auxilium spirituale proximo ferendum, etc., is de divina vocatione satis securus esse potest. Frustra enim exspectaretur alia significatio divinae electionis quam per illas mentis illustrationes et potissimum voluntatis motiones, quibus solet Deus homines ad quolibet salutare bonum allicere.

Quandoque contingit ut qui olim merito se vocari ad statum clericalem aestimabat, recte postea contrarium judicium eliciat, eo quod aliquam mutationem in seipsum induxit, ob quam vere existimet se jam aptum non fore officiis hujus status implendis, puta ob habitus pravos quos peccatis contraxit, ob amissum tempus quo scientiam debitam acquirere potuisset. Manifestum quoque est probitatem non semper in ordine temporis anteire vocationi formaliter sumptae : nam etiam malos Deus vocare potest ut, poenitentia acta, congruam virtutem assequantur, sicut crebro vocat indoctos ut, studio adhibito, congruam scientiam acquirant.

**25. III.** Qui renuit sequi vocationem ad statum clericalem certo cognitam, leviter quidem peccat, cum id agat ob motivum rationi non consentaneum, puta ob timorem laborum, ad fruendum laicorum libertate, etc. Graviter autem peccare non videtur, siquidem Deus ipse allicit, non imperat, neque deerunt homini alioquin bene disposito (ut supponimus) auxilia gratiae necessaria, quibus in statu laicali salutem consequatur. Nemini enim denegat Deus ea quae requiruntur ad omnia officia implenda, et, si oratur ut oportet (ad quod semper praesto est auxilium sufficiens), dat etiam omnibus gratias congruas et efficaces. (Ball. P. n. 6)

**IV.** Qui statum clericalem ingreditur, praeditus bonis moribus et sincero animo omnes hujus status obligationes exsequendi, non videtur graviter peccare ex eo tantum capite quod non habeat vocationem interiore formaliter sumptam, puta quod impellatur tantum commodioris vel honoratioris vitae desiderio. Nam, cum bonos gerat mores, non erit ipsi adeo difficile, ope gratiarum quae non denegabuntur (III), fidellem esse clericalibus obligationibus. Leviter quidem peccabit ob hanc minus rectam intentionem : sed hanc facile in meliorem mutare potest.